



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Metropolis Salisbvr gensis

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum  
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

**Hund, Wiguleus**

**Monachii, 1620**

Primus huius Monasterij Abbas dicitur fuisse ex familia Nobilium de  
Sigenheim, quiobiit Anno 1164.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13578**

Primus huius Monasterij Abbas dicitur fuisse ex familia Nobilium de *Sigenheim*, qui obiit Anno 1164.

Hoc Monasterium in eo bello, quod *Manigoldus* Episcopus *Patauiensis*, & *Albertus* Comes à *Pogen* cum *Rapoto*, Comite Palatino *Bauariæ*, familia de *Ortenberg* gessit, sibi spoliatum, & penitus exustum est, Anno 1212. in Vigilia Sancti *Andree* Apostoli. Pariter in bello *Ottokari* Regis *Bohemiæ* contra Duces *Bauariæ*, nimirum Dñi. *Henricum* & *Ludonicum* spoliatum & exustum est, ab eiusdem Regis capiteo, circa annum 1266.

Erat & olim Monasterium fororū, seu sacrarum virginum ibidem, S. *Michælis* Oratorio seu Ecclesiæ parochiali coniunctum, quod similiter in prædicto bello *Manigoldi* Episcopi & *Alberti* Comitis exustum est; cuius ædificiis primò succensis posthæc maiorem Ecclesiā alterius Monasterij, cum omnibus officinis sibi adiacentibus vorax flamma consumpsit. Cuius rei miserabilem euentum habemus in scriptis *Rapothoni* presbyteri quondam Conuentualis ibidem, *Henrici* Abbatis successoris; quem idem Abbas collectis per manus fidelium ad reparationem Ecclesiæ mittendis, præfecerat. Literarum & Priuilegiorum super redditibus Monasterij editorum & conscriptorum, quæ in prædictis exustionibus incendio consumpta sunt, sit mentio in *Bertholdi* Episcopi *Bambergensis* litera, num. 25. Item in *Thomæ* Abbatis Monasterij *Celle principum* lit. nu. 38.

Anno Domini 1350. feria sexta post diem Natiuitatis B. MARIÆ, in nocte fures surripiebant ex sacristia cuncta insignia Domini Abbatis, videlicet baculum, torques & annulos, & vnam pannam deauratam, vnum pannum bombycinum, vnam magnam crucem argenteam deauratam, in cuius concavitate multæ fuerunt reliquiæ Sanctorum. Vnam parvam crucem argenteam, quæ etiam claudebat Sanctuaria: & penè omnia priuilegia Monasterij, cum plurimis priuilegiis quorundam Laicorum.

### Sequuntur literæ Bertholdi Bamberg. Episcopi quarum paulo supra fit mentio sub num. 25.

*Bertholdus* Dei gratia *Babenbergensis* Ecclesiæ Episcopus. Vniuersis Christi fidelibus, ad quos præsens scriptum pertenerit, salutem & sinceram in Domino charitatem. Cum auctoritate Canonis quæ infirmari possunt præcaueri debeant, cautum est, vt ad modernorum memoriam, & noticiam futurorū, qua fideliter inter bonos aguntur, scripturæ testimonio commendentur. Notū igitur esse volumus vniuersis, ad quos tenor peruenerit huius scripti, quod dilectus nobis in Christo *Wernhardus* honorabilis Abbas Monasterij S. *Matthæi* in *Aspach*, à prædecessoribus nostris fundati, Diæcesis *Patauiensis*, ex parte sui, eiusque Conuentus, efficaciter proposuit coram nobis, quod Monasterium ipsius, tam in hominibus quam in bonis, infra districtus nostros vel propè existentibus, per Officiales nostros, nec non aduocatorum iudices, libertatum & juris, quibus à prædecessoribus nostris, fundatoribus loci eiusdem priuilegiatum fuerat antiquo, si ferè solatio destitutum. Proposuit etiam, quod Priuilegia super hoc conscripta in exustione ipsius Monasterij essent per incendium consumpta, & hoc se exhibuit certius probaturū, petens humiliter & deuotè, quatenus tum propter Deū, tum propter iusticiam, tum etiam quia dictum Monasterium in *Aspach* ab Ecclesia *Bambergensis* per nostros est prædecessores fundatum, sibi dignaremur super proposito consulere & auxilium impertiri. Cum igitur ex iniuncto nobis à Deo officio, omnibus piis locis, & maxime illis quæ à prædecessoribus